

051

049

055

045

060

040

100

150

Ende

Anfang

36

longam autem navigationem pervenimus ad insulas Gazapoleos,
et ventum non habuimus, nec transivimus, nisi quantum
galeotarum pigro tractu remis movebamur paulatim. ~~A~~

Venimus autem ad locum quendam, ubi stat civitas supra
mare, in monte, bene murata, sed totaliter desolata per
draconis cujusdam flatum, ut postea dicetur, et consequenter
inter montana taediosa navigatione transeuntes ad districtum
quendam venimus, ubi galēa fixa super aquas stabat, nec
remis hue aut illuc moveri poterat; sed, ut dixi, sicut palus
stabat, quasi parata in profundum mergi, quia subtus eam
erat vorago Abyssalis, vel terrae hiatus, qui sorbebat ibi
magnum maris partem, et aquae in abyssum ibi illabebantur.
Ideo stabant ibi superiores aquae, descensum in abyssum
exspectantes, et quando mare in illa parte non habet multas
aquas, tunc aqua rotatur, et ea, quae superius natant, des-
censum minantur. Et de facto naves ibi absorberentur, si
gubernatores arte non obstiterint. In illo ergo loco stetimus,
et galeotae multis clamoribus et laboribus conabantur galēam
a faucibus istis removere, sed in vanum laborabant. Quod
videntes hi, qui erant in civitate Corcyrae, quia Corcyram
insulam et civitatem p̄ae oculis habuimus, descendederunt ad
nos de Corcyra, alias Corfun, cum duabus parvis galēis, et
funes ad nostram galēam alligantes, connectentes eas ad
puppes suas, et remis suas galēas trahentes cum magna
violentia galēam nostram de faucibus abyssi extrahebant, ne
absorberet nos profundum, et erepti adscendimus ad Corcyram
insulam, et post solis occubitum portum civitatis ingressi
sumus, qui stabat plenus navibus praedalibus, quia, ut dixerant
nobis domini Veneti, Capitaneus maris cum classe armata ibi
erat in custodia maris. Dormivimus ergo usque mane. Mane
autem facto egressi sumus in barcis ad civitatem, et eam
repletam hominibus invenimus, et multi turci ibi inter chri-
stianos deambulabant. Missa audita domunculam quandam in
suburbio conduximus nos peregrini de Suevia et Bavaria, et
ibi coximus, comedimus, bibimus, et dormivimus. Erat autem
domuncula parva et lignea, de antiquis et aridissimis lignis.
Unde contigit, quod propter excessivum ignem, quem coquendo
accendimus, ipsa domuncula bina vice realiter ardere coepit,

